



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

5. De eodem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

& uiuis peccatori exhibet, quoties ad pœnitentiam & gratiam suam in-
 nitat Cuius cor, quantumuis durum,
 non colliquescat, si tantam Sponsi sui
 benignitatem erga se profundè expen-
 dat? Quis insuper secum reputans,
 quot animæ toties idèd pereant, quod
 hominem, à quo instruantur, mo-
 neantur, iuuentur, non habeant, ad in-
 timam compassionem, ardentemque
 ijs, pro modulo suo, subueniendi ze-
 lum non accendatur? Amor Iesu, ze-
 lus animarum.

De eodem. ibidem.

V.

I. **S**ANUS factus sustulit grabatum su-
 um, & ambulabat, quantumuis
 esset dies Sabbathi, & Iudæis id prohi-
 bentibus respondit: *Qui me sanum fe-
 cit, ille mihi dixit: tolle grabatum tuum,
 & ambula.* nesciens quis is esset. Iesus
 enim declinarat à turba constituta in
 loco. Imitanda in languido illo cœcæ
 obedientiæ promptitudo, in Christo
 humani plausus detestatio, & calum-
 niatorum inuidiæ declinatio.

II. Iesus illum postea in templo in-
 ueniens sic monet: *Ecce sanus factus es,
 iam amplius noli peccare, ne deterius tibi*

Kk 2

ali-

aliquid contingat. Quam feruenter ille languidus à paralyfi 38. annorum liberatus gratias Deo pro accepto beneficio egerit, & seriam vitæ emendationem proposuerit? quanto feruentius Christus pro patrato à se miraculo æternum Patrem magnificarit, & firmum constansque seriæ conuersionis propositum illi inculcarit? imò etiamnum omnibus toties inculcet, quoties eos à languoribus animæ liberat? Memento ergò quoties te sentis ad respiciendum excitari, hoc ipsum tibi à Christo insusurrari. Gratitude, seriæ conatus vitam emendandi.

III. Ille, sic à Christo admonitus, cum gratum se animo & verbo exhibuisset, reipsâ beneficium compensaturus Iudæis nuntiauit Iesum esse, qui se fecisset sanum, optans videlicet, illum ab omnibus agnosci, suspici, magnificari, pluresque similis gratiæ participes fieri. Quanto maiori affectu cuius peccatori à Christo vitæ gratiæ restituto id præstandum exclamando

Psal 50. corde, ore, ipso opere: Docebo iniquas vias tuas, & impij ad te conuertentur. Et:

Psal 65. Venite narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus anima mea. Gratitude.

ritudo, zelus errantes animas ad Christam reducendi.

De externis actibus amoris perfectè exercendis.

De Incitamentis amoris Dei.

} 6. p. med. {

{ II. VI.

{ 12. VII.

Dominica X. post Trinitatem.

10. Hebdom. post Trinitatem I.

De fletu Christi super Ierusalem. Luc. 19.

I. Videns Iesus civitatem fleuit super illam dicens: Quia si cognovisses... De fletu pius Dominus non solum horrendum ingratae urbis excidium, sed aeternum potius tot ingratorum Iudaeorum, imò omnium peccatorum reprobatorum interitum; insuper summam eorum omnium caecitatem, & stupiditatem, vti & tuam, & omnium tepidorum collatis talentis naturae & gratiae tam oscitanter vrentiam supinam ingratitude & socordiam & quidem eo amarius flebat, quòd clarius omnia & singula omnium & singulorum peccata, & debita iisdem

Kk 3

cam